



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 3. Deciditur de Constitutivo Personarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

RESPONDETUR. Retorquendo in primis argum. nam in sententia Suarez relatio constituit personam; & tamen relatio ad Spiritum Sanctum, eandem non constituit.

Disparitas autem hæc assignari potest; Quia origo constituens personas, debet esse incommunicabilis, sicut & ipsa persona: Quia ergo origo spirativa communicabilis est, consequenter nec erit constitutiva personæ.

Alia etiam disparitas non incommode assignari posset, quod ratio fecundi, seu originativi à se, sit constitutiva primæ personæ, quæ complectitur & generationem, & spirationem activam, & cum hæc formalitas sit una, unitatem etiam personæ primæ inferet, constituetque personam primam, nec sub formalitate fecundi à se paternæ; nec sub formalitate fecundi à se spirativæ; sed sub formalitate fecundi à se simpliciter, quæ formalitas, quia est una, non multiplicabit primam personam, sed unificabit: Quia verò formalitas præcisā fecundi à se, non videtur, quomodo denominet Patrem, licet constituat primam personam, recurrendum est ad posterius intelligibilitatis signum; nam ex exercitio generandi activo, accipiet denominationem patris; quia verò ipsa formalitas originativi paternæ, prior est formalitate fecundi spirativæ, & à priori formalitate desumitur ratio patris; à posteriori ratio spirantis; fit, ut prius sit formalitas patris, quam formalitas spirantis.

Quod si dicas, in filio dari originem activam spirantis; nec tamen constituere in illo personam, consequenter nec alias constituere, id non convincet; quia ut dictum est; Constitutivum illud debet esse incommunicabile; est autem communis utrique spiratio.

Sed ut secunda hæc disparitas non communicet cum priori, ad aliud principium recurri potest, quod scilicet constitutivum personæ, semper debeat esse primum: Quia ergo ratio spirantis, non est quid primum in filio, nec constituit personam secundam. Cæterum, si per impossibile secunda persona non esset filius; competeret tamen illi ratio spirantis: hæc ipsa origo sufficiens esset ad constituendam ejusdem personam, ut in simili dici solet, quod distingueretur Spiritus Sanctus à filio, quamvis ab illo non procederet.

DICES 3. cum Ruiz. Quando intelligimus alicui rei convenire suum constitutivum; tunc & non antea, nec aliter intelligimus illam rem esse constitutam; sed quando intelligimus filium ut genitum, inesse fixo & permanenti, tunc intelligimus filio convenire suum constitutivum; non autem quando intelligimus generari filium; Ergo filiatio quasi in facto esse concepta, est constitutiva filii; non verò generari quasi in fieri conceptum.

RESPONDETUR; Concedendo totum, & generatio in fieri, est constitutiva in fieri, genera-

tio autem in facto esse, est constitutiva in facto esse; quæ ipsa generatio activa sumpta pro vi generandi & pro principio generationis ut quo, est constitutiva personæ patris; passiva autem generatio, accepta non pro formalitate ut quo, sed pro eo quod generatur, ad quod postea consequitur ratio filii, constituet filium. *Ex dictis*

COLLIGES. Quod secunda persona constituitur origine passivā in esse permanenti accepta, & tertia persona spiratione passivā itidem in esse permanenti acceptā. Ratio, quia non constituuntur aliquo absoluto, non relatione, ut utrumque probatum est: Ergo dicto referibili, seu dictā origine, ut mox probabitur.

Punctum Difficultatis 3.

Deciditur de constitutivo personarum.

PRÆMITTO 1. *Esse hic rem de constitutivo personarum secundum modum nostrum concipiendi, de constitutivo, inquam, simili ei, dum species ex genere & differentia constituitur.* Ratio præmissi, quia cum ex una parte nihil constituat seipsum, ex alia parte, cum nulla sit distinctio realis inter personam, & naturam in divinis, debet constitutum illud esse, nonnisi per rationem. Cæterum, quamvis exemplificatum sit hoc constitutum in constituto, quod est ex genere & differentia, quod est species, non est exemplificatio rigorosa; quia quamvis æqualis sit identitas realis inter personam, & paternitatem, sicut inter animal & rationale, in specie, quæ est homo; major tamen est identitas virtualis in hoc posteriori, quam in priori; quia animal & rationale non distinguuntur virtualiter intrinsecè, secus Natura & Paternitas. Unde rigorosè loquendo hæc constitutio deberet appellari media inter realem rigorosam, & inter eam, quæ fit per solam rationem, membrum; alietatem nonnisi rationis importantem; nam inter naturam v. g. & paternitatem datur alietas virtualis.

PRÆMITTO 2. *Quamvis detur identitas realis inter personam & naturam divinam; non potest tamen dici, quod in sensu reali, v. g. paternitatem constituat natura divina: Quia aliàs ratione ipsius naturæ divinæ, realiter distingueretur pater à filio, quia distingueretur paternitate, quæ constituitur naturā divinā, hocque exigit distinctio virtualis aliàs explicata. Nihilominus formalitates hæc, quæ identificantur ita paternitati, ut ab eadem virtualiter non distinguantur, constituant etiam personam. Ratio, quia si illam non constituerent, hoc ipso distinguerentur virtualiter intrinsecè, quod est contra suppositum; consequenter Innascibilitas, Paternitas, Relatio, & similia, in sensu reali constituent personam patris.*

PRÆ-

PRÆMITTO 3. Totam esse difficultatem. Cum hac omniam re constituant personam v.g. patris, quæ formalitas sit in hoc extremo, virtutis, quæ distinctio à natura, quæ primò constituat personam, ex modo nostro concipiendi? Quæ quæ difficultas, ut examinetur, sub istis terminis proponi debet: Quidnam sit primò constitutiva personæ Trinitatis? Nam si sub a. prima, primæ personæ Trinitatis, non habebit tantum difficultatem; nam si ponatur, quid primò constituat personam sub formalitate personæ? Facile est respondere cum Arriaga. d. 5. quòd constitutur personalitate: Si quæritur, per quid constitutur pater in ratione patris? Respondetur, quòd constitutur paternitate: Si quæritur, per quid constitutur in ratione primò relati? Constituitur relatione. Immo hæc ipsa quæstio, quid primò constituat primam personam; deponit ut ly prima, & ly persona materialiter accipiat; quia formaliter eam accipiendo, & pro prima persona, quæ primam personam, deberet dici constitui eam primam personalitatem.

Ratio horum omnium est, quia illud est constitutum alicujus constituti, quod significatur per modum formæ ad concretum suum; & ita albedo est forma primò constitutiva albi, risibilis est forma primò constitutiva risibilis: Ergo cum personalitas, significetur per modum formæ ad hoc concretum, persona, relatio, ad hoc concretum relatum, &c. omnia hæc in suo genere, primò constituent, His præmissis

DECENDUM est. Constitui primò, Personam primam in ordine ad nostros conceptus, vi originantis à se, vel ratione secundum à se, ad producendum naturæ. Hæc sententia est S. Bonav. in 1. dist. 4. q. 2. & d. 27. Pro ea citari potest S. Thom. ut agnoscit Suarez cit. c. 6. n. 6. ubi loca illius indicat q. 34. 35. 36. ubi docet: *Originibus personas distinguuntur, & multiplicari.* Eò etiam servit locus ille ex q. 40. a. 4. ubi docet, quòd *Relatio non constituit personam, secundum quod relatio est, & de potentia q. 10. a. 2. Solus ordo processionum, qui attenditur secundum originem, processionem multiplicat.* Eandem docuit Vasq. d. 159. c. 5. ass. 3. Favet Antonius Perez de Trin. d. 4. c. 7.

PROBATUR 1. Quia sæpe PP. loquuntur; illò primam personam esse patrem, quia genuit: Ergo per prius supponitur ly genuit, quam ly pater, siquidem pro causali, quod sit pater, ponitur: Quia genuit: sed genuit non est naturæ, sed personæ: Ergo supponitur persona constituta, dum verificatur ly genuit, idq; ante formalitatem paternitatis; Ergo paternitatem non constituitur; Ergo nec constituitur relatione: Non etiam constituitur aliquo absolute: Ergo constituitur prædicta illa vi originantis; neque enim aliquid aliud reperibile est.

Quod attinet ad Auctoritates PP. Hæc sunt: Athanasius Dial. 1. de Sanctissima Trin. contra

Anomæos, *Nihil differt Pater à Filio respectu Dei, si ve in Deum esse, sed in Patrem esse, & Filium esse; quoniam ille quidem genuit, hic verò genitus est: Ubi pro ratione, quòd Pater sit, adfertur, quia genuit.*

Et in quæstionibus de natura Dei, q. 5. *Proprium enim, inquit, Patris ingentum esse, Filii verò genitum; & ibidem lib. 1. Solitarie & verè Pater significatur, dum intelligitur quod genuit.*

Cyrillus de constitutivo personarum loquens, quod constitutum appellat *modum existentie singulorum nominatorum.* Subdit Dial. de Trin. l. 7. propè medium: *Nam Pater, inquit, ostendit quòd genuerit, & quòd genitus sit, declarat Filium.* Lib. 2. Col. 5. dicit, *Pater quidem, quia genuit, & lib. 1. Theauri c. 5. Generare patris notio est.*

Nazianzenus Orat. 37. *Ex his verbis, ait, quòd genitus non sit, & quòd genitus, & quòd procedat, effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus S. appelletur.*

Damasceus l. 1. Fidei c. 2. circa medium similia habet.

Greg. Niss. in epist. ad Ablativum, *Nos, quæ divinam naturam differentia expertem confitemur, non negamus eam quæ secundum originans, & originatum consideratur differentiam, in quo solo, alterum ab altero discerni censemus.*

Basiliius L. 1. contra Eunomium, *Patris nomen nihil aliud ostendit quam causam & originem ejus, qui ex se natus est.*

Ex Latinis Hilarius l. 4. de Trin. *Viroq; unus & solus est, proprietate videlicet in unoquoque, & innascibilitatis & originis.*

Ambrosius l. de Incarn. myster. c. 9. *Cum Filium dico generatum significo, cum Patrem quoque dico, generasse declaro, ubi pro ratione esse Patris, ly quia genuit adfertur.*

Richardus de S. Victore l. 1. de Trin. c. 13. *Secundum solam originem est illa varietas existentie, quando pluribus personis est unum idemque indifferens esse; inveniuntur tamen secundum originem, mutuam ad invicem differentiam habere.*

Aug. ep. 66. ratione reddens, cur hic pater, hic filius appelletur; & tamen sint ejusdem naturæ? Subdit: *Quis enim non videat, ista vocabula, non in seipsis demonstrare naturas, sed alterius ad alterum, significare personas?* Et infra: *Hic enim non indicatur substantia, sed origo; ubi ut vides, in origine non rejicit Aug. denominationem Patris & Filii.*

PROBATUR 2. Ratione. Denominationem Patris antecedit intelligibilitate fecunditas à se, vel vis generandi: Quod ipsum prob. quia quæcunque est regula discernendi, quòd in divinis sit prius intelligibilitate aliquid præ alio, ex eadem colligetur, prius esse intelligibilitate vim generandi, denominationem patris: si enim spectetur proportio ad creatura, ad quæ in similibus respici solet, hæc militat pro nostra sententia; quia non ideo aliquis generat, quia est Pater; sed ideo est Pater, quia generat. Hoc ipsum ulte-

R. P.
H. MŁOD
NOWSKI
bim. de. Z.
D. VT
S.

ulterius in hoc fundatur. Si idem in divinis pater generat, quia est pater; Ergo intelligibilitate prius est esse patrem, quam habere vim generandi, siquidem vis generandi sequitur ad paternitatem; & siquidem idem generat, qui est pater: sed hoc non potest dici, quod prius sit esse patrem, quam habere vim generandi; quia pro illo priori intelligibilitatis, si non intelligitur habere vim generandi; Ergo pro illo priori est pater, sine posse generare, quod de se videtur absurdum. Deinde, pone per impossibile posse istud generare, esse in Deo prædicatum distinctum realiter, pone illud non advenire; absurdum esset dicere, esse illum patrem, & non habere illum vim generandi; Ergo etiam absurdum erit intelligere illum patrem, qui pro illo signo rationis, non intelligitur habere vim generandi. Sic statuta hæc propositione, quod formalitatem patris antecedit intelligibilitate fecunditas à se, vel vis generandi; quæro, in illo priori intelligibilitatis, vel intelligitur natura generare, esse à se fecunda &c. vel intelligitur persona generare? Si natura, opponis te patribus docentibus, quod natura non generet, admittisque ratione naturæ, quod competat etiam filio, se generare. Si in illo priori intelligibilitatis persona generat; Ergo intelligitur constituta persona; sed non paternitate, ut probatum est; non etiam aliquo absoluto, ergo vi originandi.

RESPONDEBIS. Sufficere quod posteriori rationis signo, intelligatur pater habere vim generandi. Sed hoc jam supra impugnatum est. Neque valet si dicas cum Suar. Relationes & personalitates creatas cum non sint substantiales, & per se stantes, exigere ante se priores alias formalitates; secus autem relationes increatæ; non inquam valet si id dicas; nam redit argumentum factum, quia si nihil obfit relationes & personalitates per se stantes divinæ, debent proportionari creatis; excepto hoc, quod relationes increatæ, sint per se stantes; Cur ergo in hoc non proportionabuntur, quod sicut in creatis, non idem aliquis genuit; quia est pater, sed è converso; ita idem dicatur de divinis? Redit etiam argumentum, quod si relatio paternitatis per se stans, sit constitutiva personæ, quod deberet intelligi pater, sine vi generandi.

CONFIRMATUR specialiter contra principia Suarez. Persona Filii & persona Spiritus S. prius concipiuntur, ut constitutæ, quam ut relatæ, ut docet Suarez c. 7. n. 12. Ergo & persona prima prius concipitur ut constituta, quam ut relatæ. Conf. prob. ex eodem, idem antecedens est verum, quia in humanis prius concipio personam Petri productam à Paulo quam ut relatam ad ipsum; sed etiam prius concipio fecunditatem, & vim generandi, quam paternitatem; Ergo.

PROBATUR 3. Persona produciens prius debet habere intelligibilitatis signum præ producto, ergo & constitutiva producentis debent esse prius intelligibilitatis signo, & non dependentia à producto; Ergo ulterius persona produciens, non potest constitui relatione, quæ supponit productum; ergo debet constitui ipsa origine: Non enim constitui potest absoluto, vel aliquo alio. Ant. prob. Quia productum præsupponit produciens, non è converso. Quod autem relatio præsupponat productum, resolvitur in illud principium, quia est ad aliud, si autem non præsupponeret terminum, in illo antecedentia ad terminum signo, non esset aliud; quia pro illo signo nondum intelligitur illud aliud. Neque valet, si dicas, quod in prioritate originis tantum involvatur, ut hoc sit ab hoc; non tamen ut intelligatur unum sine alio, vel ante illud; non inquam valet, si id dicas; quia quamvis non debeat intelligi ante aliud tempore, vel instanti; tamen intelligi debet prius; Ergo & habere constitutiva in ratione prioris; Ergo non defumibilia, ab aliquo posteriori.

CONFIRMATUR. Si relatione constitueretur persona, hoc quod intelligeretur relatum, vel esset natura, vel aliquid aliud distinctum à natura? Si natura, ergo verum erit, natura refertur, & à paritate rationis, natura generat; si autem refertur distinctum à natura, ergo præter relationem est illud, quod refertur; Ergo præter relationem est illud, quod constituit illud quod refertur; Quomodo autem præter relationem esset illud, quod refertur, si præter relationem non esset constitutivum illius? Ergo ulterius si constitutivum illius, quod refertur, non est relatio, nec aliquid absolutum, debet esse origo.

Neque valet, si dicas; Illam relationem & ut quo, & ut quod referri (quod etiam in superioribus innuimus, quantum sufficiebat ad vim argumenti infringendam) quia licet id verum sit in sensu reali, non tamen in formali: Hinc etiam in creatis, si una relatio fundaret aliam, relatio & ut quo, & ut quod referretur, nihilominus sub alia formalitate, & sub alio constitutivo ex modo concipiendi, de quo constitutivo, hic etiam quæritur.

DIFFICULTAS II.

An Formalitas personæ, & relationis, personæ importet in divinis?

PROcedit titulus de Formalitate personæ, prout virtualiter distincta ab essentia, & secundum quod in se spectatur. In qua questione divisi sunt Auctores. Quod addat perfectionem aliquam, docet Suar. hic l. 3. c. 9. Vasq. d. 123. c. 2. Arriaga d. 49. n. 10. Amicus. d. 19. S. 8. Martinon d. 25. S. 9. Ruiz tota disp. 29.

Oppo: